



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

**Parisiis, 1644**

III. De foro competenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15490**

rumdem ; a quibus prædicta emanarunt , & hoc quantum in litem fuerit iuratum.

ANNO  
CHRISTI  
1440.

## I I I.

Quia priuilegium fori ecclesiæ est immediate a iure diuino , quandoquidem nec consensus , nec tolerantia excusare potest , animarum periculis prouidere volentes , statuimus , & vniuersis Christi fidelibus nostræ diocesis districtè præcipiendo inhibemus , ne quemquam clericum , aut personam ecclesiasticam , capitulum aut collegium quodcumque ad iudicium forense trahant : iudicibus quoque forensibus , ne quemquam eorundem coram se experiri cogant. Alioquin tam actor quam iudex sententiam excommunicationis ipso facto incurrant. In qua ipsos & ipsorum plebanos , dum in scriptis legitime requisiti fuerint , similiter sub eadem excommunicationis pœna volumus illico excommunicatos publice denuntiari , nunquam ad absolutionis beneficium admittendos , donec parti læsæ super iniuriis & expensis taliter irrogatis caueant vel satisfaciant competenter secundum æstimationem & declarationem legitimas , coram nobis vel iudice ecclesiæ nostræ rite faciendas. Salua nihilo minus exactione pœnarum in constitutionibus aliis super hoc per sedem apostolicam & in Concilio prouinciali promulgatarum.

Inhibemus , & sub pœna excommunicationis interdiciamus omnibus Christi fidelibus , clericis & laicis nostræ diocesis , vt nullus ipsorum contra dictum Saluatoris & sacros Canones sine iussu nostro aut vicarii nostri speciali , præter iudices capituli



ANNO  
CHRISTI  
1440.

nostri & archidiaconi in Raettnbuch per archidiaconatum ibidem, de causis matrimonialibus diffiniat aut agnoscere præsumat.

Licet illorum qui occulte Dei iudicio asserunt, lepræ morbo percussi separatio a communione hominum maioribus gradibus ecclesiæ dumtaxat secundum expertorum medicorum examen sit credita, frequenti tamen querelarum assertione percipimus, plures innocenter separatos, alios separandos toleratos, præsentis statuto sub excommunicationis pœna inhibemus, quod nullus deinceps nostræ diœcesis clericus vel laicus quocumque modo vel forma quemquam sua temeritate audeat iudicare leprosum, vel ab hominum separare communione. Sed vniuersis & singulis sub nostra diœcesi degentibus districte præcipimus, quod suborta fama contra quemquam, quod lepræ morbo percussus sit, talem nostræ aut vicarii nostri transmittat audientiæ, tamquam ad sacerdotem Leuiticum per nos aut vicarium nostrum amplius examini medicorum subiiciendum pro experimento, an rumori veritas suffragetur: hoc tamen, nisi casus adeo sit indubitatus, quod tergiuersatione nequeat occultari; puta, cum infirmus aperte profitetur, quod manus Domini tetigerit eum.

IV.

Quia clericorum est, in seipsis implere voluntatem Domini, & lucere per honestam conuersationem, qualiter alios oportet in domo Domini conuersari, sacra Synodo approbante statuimus, volumus & mandamus, vniuersos clericos nostræ

SSSS iij